

vatione opus non habent, apud quos satis videtur, mortem praesumtam et ius succedendi demonstrari, ut, qui adsunt, cognati, rebus absentis potiantur. Contra in Saxonia, ubi plurima, tum a cognatis, tum a iudice, fieri gerique debere, ex superiori disputatione intelligitur. Opus enim, ut omnia, quae singula, multa cum cura, docuit AVG. FRID. SCHOTTVS⁴⁶⁾, paucis verbis comprehendam,— legitimo edicto et sententia solemni, memoriam absentis, non damnante, sed extinguente, personam ei detrahente, contumaciam coercente. Denique, effectu missonis in hereditatem absentis, civiliter mortui, considerato, plurimum distant statuta Gorlicensia ab eo iure, quo Saxones ex novissimis edictis utuntur. Nam cognati Gorlicenses bonorum quidem possessionem consequuntur, sed eiusmodi, ut nonnumquam sit sine re: apud Saxones semper est cum re. — Missus in bona iure Gorlicensi repromittit, res acceptas absenti aliisque, potius ius demonstraturis, restitutum iri: quod non aequa misso fieri

46) Docuit enim, in edictali citatione, caussam, tempus, occasionem, fori competentiam, homines vocandos, tenorem, locum, et universe publicationem et spatium spectari debere: in *diss.* laud. p. 40. sqq.